



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

412. Die sancti Andreæ. De tribus clavis, seu triplici causa crucem ferendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

post osculum oris infigit osculum pectoris.
Ita dicit Gertrudi Dominus lib. 3. cap. 17.

MEDITATIO CCCXXII.

Die S. Andreae.

*De tribus clavibus, sex triplici causa
crucem ferendi.*

Videbo D. Andream viriliter in cruce
gaudio gaudientem. Petam eum imitari.

Conf. 1. Verba S. Andreae in cruce penden-
tis, & disquiram: homo est, qui loquitur hoc,
an non est homo, sed Angelus, aut nova ali-
qua creatura? homo planè similis nobis pas-
sibilis, nam passibilem esse passio ipsa testa-
tur. Quà vicinâ letabundus exultabat un-
de, an à te? absit; Spiritus erat, qui adjuvabat
infirmiorem, per quem diffunditur in corde
charitas, morte quavis fortior, quavis ejus
amaritudine dulcior, quacunque ejus lon-
ginitate præstantior. *Spiritus, si adesset, ad-
juvaret infirmitatem nostram, ait S. Bernard.*
serm. de S. Andr. Optabo hunc Spiritum
toto corde.

Conf. 2. Quomodo hic Spiritus triplici
ratione impellat ad crucem. 1. Egone, ut
me amem, hostem Dei? 2. Egone, ut aliam
sortem quæram? 3. Egone, ut non amem
bonitatem infinitam? Non est explicabilis
vis incitamentorum his verbis inclusorum.

¶ 6 ad

ad triplicem viam purgativam, illuminativam, unitivam spectantium. Quia nunquam tantam crucem perferam, quantum debeo habere odium propter levissimum lapsum, qui meretur odium, quo Deus illum odit, & quando ego ascendam ad tale odiū? Nunquam tantam perferam crucem, quantum tulit Dominus JESVS, quia nunquam elevabor ad talem personam, nec unquam in me solvetur potestas illa tenebrarum, quæ fuit soluta in Christum. Nunquam tantum diligam Deum, quantum satis est, ut Bono infinito, Domino infinito, Benefactori infinito, ego creatura undequaque defectibilis satisfaciam.

Conf. 3. Verba sancti Ambrosij serm. 20. in Psal. 118. Quanti quotidie in occultis Martyres Christi sunt, Modus à S. Agnete datur apud S. Brigittam. Martyrij genus est delicias habere, & delitijs non uti. Non deest nobis Martyrium, modo nos non desimus martyrio. Ipsa communio crucis est ferax, ubi sæpe subtrahitur gratia devotionis, ut virtus habeat suum exercitium, nec curandum, quòd non statim sentiatur affectus: nec enim sentitur statim medicinæ effectus. Petam intelligere axioma sancti Gregorij Nazianzeni

Orat. 3. Mihi omnibus rebus emendus est DEVS & CRUX.

DE.